



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Diuites quomodo admonendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

accommodent. Si qui ex filijs vxorem duxerint, curabunt parentes, vt opera maritorum etiam illæ sacramenta frequentent: vel si vxores sint, cum maritis similiter agant: qua in re in memoriam eis reducant quod S. Paulus ait: I. Cor. 7. *Maritus bonus* (inquiens) *sapè vxorem Christo lucratur, & similiter virum.* Eis qui literas norint, suadebunt, vt libros aliquos pios & sanctè scriptos emant (si modò facultas suppetat) quos & ipsi legant, ac faciant legi à tota familia circa vesperam, præcipuè diebus festis: tales sunt, *Vitæ Sanctorum Patrum*, Gerson de imitatione Christi, *Opera F. Ludouici Granatensis Exercitia Vitæ Spiritualis; & Rosarium Gasparis Loartis, Practica Orationis Spiritualis P. Matthiæ Cappucini, Introductio ad vitam deuotam Francisc. de Sales, Androtij & P. Gaudier Soc. IESV, Thom. à Kempis, P. Arias & Iul. Fatius Soc. IESV, Lanspergij & Hie. em. Drexelij Soc. IESV opuscula, & alij similes.*

Diuites quomodo admonendi.

Sæpiùs diuitibus in mentem redigant, eos dispensatores esse diuitiarū quas possident, quibus ordinem ac statum suum sustentare & alere possint, verū id Christianè, modesteq; faciendum esse, vt non solum in vsu diuitiarum nō supra quam eorum vires ferunt, sed potius infra aliquid expendere cernantur, quod etiam Gentiles olim non solum verbis, sed etiam domesticis exemplis ostenderunt. Porro in eleemosynis liberaliter faciendis studeant excellere, ad hoc enim obligantur: ac ne fortè aberrant à modo conuenienti, hominū religiosè pieque sententium consilium in his sequantur.

Pe

Postremò secundum vniuscuiusque modum & conditionem, omnibus & singulis ea præscribant adiumenta, quæ maximè necessaria, vtiliaque esse iudicabunt, vt in via mandatorum Dei sui ambulent ac proficiant.

INSTRVCTIO PRO CONFESSARIIS.

REVERENDIS PASTORIBVS
& Confessarijs pacem & dilectionem in Domino, apprecatur FRANCISCVS DE SALES,
Episcopus Geneuensis.

Dilectissimi in Christo Fratres, officium, quod exercetis, cum primis excellens est, quod à Deo ad animas iudicandas constituti sitis, idq; eo maiore cum auctoritate, quod, quas rectè profertis in terra, sententia rata in cælo habeantur. Ora vestra canales & tubi sunt, per quos è cælo in terram super homines bona voluntatis pax defluit: voces vestra magni LESV sunt tuba, à quibus iniquitatis, qua mystica Iericho est, muri ad terram concidunt & deiciuntur. Magna certè & incomparabilis hominum excellentia est, quod ad hanc dignitatem euehantur, ad quam ne Angeli quidem vocantur & assumuntur. Cui enim Ordini & Choro Angelorum dictum est aliquando: Accipite Spiritum sanctum, quorum remisertis peccata remittentur eis? Hoc tamen dictum est Apostolis, & in ipsorum persona omnibus, qui per legitimam successionem eandem auctoritatem & potestatem accipient. Cum ergo ad admirabile &

exi-